

C. SALLUSTI CRISPI
EPISTULAE
AD CAESAREM SENEM
DE RE PUBLICA

I

1. Pro vero antea optinebat regna atque imperia for- 1
tunam dono dare, item alia quae per mortaleis avide
cupiuntur, quia et apud indignos saepe erant quasi per
libidinem data neque cuiquam incorrupta permanserant.
sed res docuit id verum esse, quod in carminibus Ap- 2
pius ait, fabrum esse suae quemque fortunae, atque in 6
te maxume, qui tantum alios praegressus es, ut prius
defessi sint homines laudando facta tua quam tu laude
digna faciundo. ceterum ut fabricata sic virtute parta, 3
quam magna industria haberei decet, ne incuria de- 10
formentur aut conruant infirmata. nemo enim alteri im- 4
perium volens concedit et, quamvis bonus atque cle-
mens sit, qui plus potest tamen, quia malo esse licet,
formeidatur. id eo evenit, quia plerique rerum potentes 5
pervorse consulunt et eo se munitiores putant, quo ille 15
quibus imperitant nequiores fuere. at contra id eniti 6
decet, cum ipse bonus atque strenuus sis, uti quam
optumis imperites. nam pessumus quisque asperrume
rectorem patitur. sed tibi hoc gravius est, quam ante 7
te omnibus, armis parta componere, quod bellum ali- 20
orum pace mollius gessisti. ad hoc victores praedam 8
petunt, victi cives sunt. inter has difficultates evaden-
dum est tibi atque in posterum firmanda res publica